

1/89

KALENDIS MARTIIS

MCMLXXXIX



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIUS

RVMOR VARIUS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIUS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	öS 140.--
In ceteris Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans maria sitis	U\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIUS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIUS P7-642.719.0

RVMOR VARIUS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIUS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	öS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	U\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIUS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIUS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amici nostri, qui haec legetis!

Primum fasciculum RUMORIS VARIII anni novi manibus tenentes fortasse parvulam mutationem in fronte huius libelli animadvertistis: Non est numeris "1+2", sed "1" tantum signatus. Existimavimus enim, quia RUMOR VARIUS sexies in annos singulos editur, nihil obstare, quin abhinc fasciculos futuros -logice- numeris "1 - 6" signentur. Causa fasciculorum numeris duplicibus signandorum in originibus RUMORIS VARIII posita est: Annis 1978° et 1979° duodecies enim in singulos annos edebatur. Ab anno 1980° autem domui editoriae placuit duos libellos in unum fasciculum intervallis duorum mensium editum contrahere. Propterea quisque fasciculus numeris "1+2", "3+4" etc. signatus erat.

Nunc autem decrevimus modum signandi factis accommodare: Sexies RUMOR VARIUS editur, ergo numeri "1 - 6" fasciculis abhinc inscripti erunt. (Edentur fasciculi singuli circiter idibus Februariis, Aprilibus, Iuniis, Augustis, Octobribus, Decembribus). Operam dabimus in tempore fasciculos editum iri, sed, ut temporibus praeteritis saepius quam nobis placuit evenit, improvisis rebus accidentibus semper retardationes fieri poterunt. Spero tamen non saepius nobis ignoscendum fore illo celeberrimo Ovidii Nasonis poetae: "Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas." (Epistulae ex Ponto III, 479).

Varias res in hoc libello invenietis, exempli gratia aenigma logicum a Marco Reber compositum, ad quod solvendum ars subtiliter ratiocinandi et mens acris adhibenda erit, sed multa alia quoque legenda. Et ne obliti sitis, quaeso, hoc anno quoque nobis vestras symbolas de quibuslibet rebus publicandas mittere! Gratias maximas vobis et ceteri legentes et domus editoria agent.

Valete!


Daniel Weissmann

DE ITINERE HIBERNICO

(narrationis pars tertia)

Crastino die excursionem facere statuimus ad insulas Aranicas (Anglice: Aran Islands), quae notissimae sunt propter thoraces laneos (1) ibi fabricatos. Magis autem mihi placuit ibi indigenas hodie etiam lingua antiqua Celtica loqui, quae Gaelica vocatur. Ut illa lingua difficillima tota in Hibernia in scholis docetur, ita a paucissimis tantum sermone cottidiano usurpatur. Multam quidem regimen operam dat ad linguam Gaelicam conservandam - e.g. studiosis illis, qui studia lingua Gaelica facere decreverint, omnia impensa a regimine solventur, parentibus, qui domi Gaelice cum filiis filiabusque loquuntur, praemia tribuuntur -, sed tamen plerique Hiberniae incolae linguam Anglicam praeferrunt, quod intra Hiberniam Anglice omnia, extra autem Gaelice nihil patrare possunt. Paucis tantum in regionibus occidentalibus seu meridianis sunt, qui sermone Gaelico cottidie utantur. Quae regiones "Gaeltacht" vocantur; indices ibi viarii (2) tantummodo sunt Gaelicis verbis locorumque nominibus praediti, quare peregrinos bene tabulas geographicas - easque Hibernicas! - inspicere oportet, ut sciant, quem locum attingant. Galvia, ut exemplum afferam, Anglice Galway, Gaelice vero Gaillimh scribitur, Dublinum immo Anglice Dublin, Gaelice Baile Atha Cliath vocatur. Pronuntiatus verborum Gaelicorum plurimo differt a modo scribendi. Vocales enim partim pronuntiantur, partim autem tantummodo serviunt ad pronuntiatum consonantium variandum. A non Gaelice loquentibus numquam scitur, utrum vocalis habeat pondus proprium an determinet consonantem vel sequentem vel antecedentem (utrumque enim est possibile!). Sic verba Gaelica semper dupliciter sunt discenda, scripta et dicta.

In insulis Aranicis incolae, qui sunt vel rustici vel piscatores, usque ad hodiernum diem Gaelice loqui pergebant, quod mari bene seiuncti sunt a terra solida. Plurimi autem iuvenum laborandi causa emigrare debent. Qui manent, non modo agricultura et piscando vivunt, sed etiam periegesi, cum imprimis aestivo tempore multis peregrinis insulas visitare maxime necessarium esse videatur. In nave, quae

nos a vico Rossaveel ad insulam Inishmore (i.d. "insula magna"), Aranicarum trium maximam, transportavit, multi erant peregrini, inter quos Basileenses quoque mulieres iam satis seniores semper blaterantes. Cum primum insulam appuleramus, subito birotis mercede conductis (3) aufugimus, ne colloquia mulierum loquacium vana diutius audire cogeremur. Eae autem impigrae pilenta equestria (4) mercede conduxerunt et nos sunt insecutae - ne dicam persecutae! -, ut mox tota insula dialecto Basileensi resonare videretur. Alius autem sonus in minutas est auctus, quia Henrici venter crepitare coepit fame oppressus. Quem consolantes: "Noli desperare", diximus, "mox cauponam adibimus." Putavimus enim prope arcem antiquissimam Celticam, quam visitaturi eramus, cauponam esse debere. In Helvetia si arx illa staret, certe ipsa iam pridem esset caupona facta! Sed iterum cognoscendum nobis erat mores Hibernicos differre a moribus Helveticis: Cauponam desiderio profundo optatam et expectatam nusquam invenire potuimus! Tamen muros crassissimos admirati sumus, quibus munita est illa arx nomine Celtico "Dun Aengus" appellata. Quando et quo auctore aedificata sit, ne historiologi archaeologique quidem indicare possunt. Sunt, qui affirmant Dun Aengum iam ante invasionem Celtarum, i.e. ante saeculum tertium a.Chr.n., esse constructum. Qui autem erant Aborigines Hiberniam ante Celtas incolentes? Quibus pugnis a Celtis devicti sunt? Suntne hodie vestigia eorum in lingua Gaelica moribusve Hibernorum? Haec aenigmata solvendi non potentes eadem nave, qua in Inishmore transvecti eramus, in terram solidam relati sumus.

Diebus proximis Hiberniae partes septentrionales petivimus. Mayo, qui comitatus est planus, minus nobis placuit quam Connemara lacubus montibusque abundans. Die Sabbati Sligonem attigimus, oppidum sat expensum. Tria circiter chiliometra extra oppidum sitam villam forte quadam invenimus ad pernoctandum aptissimam. Vesperi Monica egoque Sligone ecclesiam intravimus sanctam missam dominicalem celebraturi. Haud festum erat extraordinarium, sed tamen ecclesia plena erat hominum. Qui aspectus non modo necopinatus erat nobis, sed etiam gaudio nos imbuat grandi. Hiberni re vera catholici fidi esse videntur; non modo missam constanter participare solent, sed etiam ecclesiae doctrinas sanctas longe

melius sequuntur quam ceteri Europaei (exceptis Polonis). In commentariis diurnis enim quibusdam legimus de demoscopia (5) nuper inter iuvenes facta, qua interrogati sunt, quid censeant de dogmatibus ecclesiae catholicae nonnullis. Qui iuvenes (pueri puellaeque scilicet!) inter 14 et 25 annos nati mirabiliter responderunt: 68 % (lege: duodesseptuagenae centesimae) eorum una cum papa abortum infantium nondum natorum omnino repudiant, 44 % divortium matrimonii nefas esse iudicant, 43 % sexualitatem extramatrimoniale non probant, atque 36 % anticonceptivis artificialibus uti Christiano non licere existimant. His numeris valde stupefacti sumus, quod in Helvetia iuvenes aliter sentire pro certo habemus. Addendum est demoscopiam supra dictam non tantummodo inter iuvenes specialiter religiosos esse factam, sed inter iuvenes Hibernicos varii generis.

Interdum autem religio Hibernica nobis non gaudio, sed taedio erat: Sepulcra, ut exemplum afferam, non sicut apud nos floribus exornantur et bene coluntur, sed atrocibus "pseudofloribus" (i.e. floribus plasticis) atque imaginibus ineptis (6) depravantur. Similes imagines etiam in plurimis domibus videre potes, quia venales prostant multis in tabernis, praecipue autem in vico Knock, quo sanctissima virgo Deipara Maria saeculo undevicesimo ad finem vergente apparuit.

Fana romanica, gothica barocave - exceptis duobus monasteriis funditus renovatis - tota in Hibernia non invenies, cum, ut supra dixi, milites Angli Cromwell(io) duce omnia deleverunt. Hiberni, qui catholici manere volebant, absconditis in locis sub caelo missas celebrabant. Sacerdotes Angli ut feras venabantur, sed tamen fidem catholicam extinguere numquam poterant, quia ligitur apud Matthaeum evangelistam: "Et portae inferi non praevalent adversus eam (i.e. ecclesiam)." (Mt. 16,18).

Hiberni libertatem politicam et religiosam anno 1923° recuperaverunt, sed sex comitatus ad septentriones orientemque vergentes pars "Regni Uniti" manebant. Unde proelia sempiterna orta sunt, quae utrum et quando finiantur, nemo scit. Scivimus autem vitam his in comitatibus interdum nimis esse periculosam, quod terroristae utriusque partis - i.e. membra "Exercitus Rei Publicae Hibernicus" (Anglice et abbreviate: I.R.A) et ea "Congregationis Hultoniae" (Ulster,

pars sex comitatum) Defendendae" (Anglice: Ulster Defense Organisation) - odio implacabili compulsi bombis aliisve armis mutue se necare student. Tamen terminos transgressi sumus prope oppidum, quod a Hibernis Deria (Derry), ab Anglis autem Hultonensibusque protestantibus Londinoderia (Londonderry) vocatur. Multum interest inter Hiberniam Hultoniamque: Hic viae stratae plus minusve bonae, ibi autem perfectae sunt. Hic indices viarii ferrugine arrosi obliquique pendent, ibi optime curati vias perspicue monstrant. Hic vero homines familiariter salutare et resalutari solent, ibi alter alteri diffidit neque verbis "Salvus sis!" salutatur, sed "Cuius religionis es?" Mediis in Hultoniae oppidis non licet autocinetum statuere et relinquere, quod vigiles quoque in autocinetum vacuo bombam esse suspicantes vehicula relicta detrahunt, ne quid detrimenti capiant incolae. Tamen saepe homines innocentes interficiuntur, velut in illo oppido Enniskillen, quod visitavimus nonnullis mensibus ante bombae explosionem crudelissimam, qua necati sunt undecim homines festum quoddam celebrantes.

Hultoniam nisi odio bombisque rigeret, regio perpulchra esset. Mirati sumus "Scalas Gigantis" (Giant's Causeway), quae continentur lapidibus plurimis mirum in modum natura formatis. Placuit nobis comitatus Tyroniae (Tyrone). Imprius autem gaudio nobis erat insula quadam in Lacu Ernio (Lake Erne) sita, ubi crucium altarum exemplar invenitur notissimum et spectatissimum.

1 thorax laneus,		
thoracis lanei (m)		Pullover/ pullover/ pullover
2 index viarius,		
indicis viarii (m)		Wegweiser/ guide/ road sign
3 mercede conducere (3)		mieten/ louer/ to rent
4 piletum equestre,		
pileti equestris (n)		Droschke/ fiacre/ cab
5 demoscopia, -ae (f)		Umfrage/ enquête/ inquiry
6 imagines ineptae (f)		Kitsch/ pacotille/ rubbish

Martinus Meier



ERRATA

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
9+10/88	100	susplicere	suscipere
	121	scribet	scribebat
11+12/88	131	receptabulum	receptaculum

RUMORIS VARIi domus editoria



De parva pueritia Horatii poetae

Horatius poeta quidem Epicuri philosophi praecepta multis in rebus sequitur, neque vero praeceptum hoc, ut sapiens latenter vivat.

Persaepo poeta de se narrat, etiam de prima aetate, quam omni cura patris in agris Apuliae agit. In carmine quodam Horatius mentionem facit de eventu hoc: Puerulus sub ianua nutricis ludere solet. Quodam die autem ludis fessus somnum capit. Tum palumbes ad infantem advolant eumque foliis tegunt, ut ursi serpentesque ab eo arceantur. Nutrix Horatii forsitan hanc rem amplificavit. Apparet autem Horatium primam aetatem ruri egisse et, matre mortua, curis cuiusdam mulieris rusticae mandatum esse.


Poeta numquam memoriam primorum annorum deposuit. In libro Epodorum commemorat de mulieribus rusticis Apuliae, quae vesperi aquam calidam parant, ut mariti labore fessi recreentur. Narrat quoque de regione hac, herbis asperis, sole usta. Multis annis post poeta, Maecenate comite, pa-

triam suam reviset. Reperiet sane agros siccatos vento quodam nomine atabuli, qui temporibus nostris ab agricolis Apulis "altino" vocatur.

Nutrix Horatii, de qua supra dictum est, forsitan erat villica parvae villae patris Horatii. Pater ipse primo erat servus publicus munere coactoris (Steuereinnehmer) fungens, deinde parsimoniae gratia libertate uti poterat. Spem omnem in filio collocabat. Quamquam Venusia oppidum magistris doctis haud carebat - Flavius quidam magister optimus putabatur - Horatii pater cum filio Romam profectus est. Puer tunc septem annos natus erat. Urbs Roma eodem tempore variis rebus sollicitabatur. Cicero exilio minatus in summo discrimine erat.

Caesaris copiae in campo Martio ad iter in Galliam faciendum paratae erant. Clodii turbae urbem tumultu implebant. Horatius puer vero cottidie patris aut servorum comitatu in ludum Orbilii magistri ibat. Orbilius Pupillus grammaticus optimus habebatur. erat autem miles veteranus sexagenarius, vir disciplinae asperrimae. Quem Horatius plagosum nominabat. Sed discipuli eius aetatis verberari solebant. Orbilius praecipue Livii Andronici "Odissiam" cum pueris tractabat, quae est inter libros primos Latine scriptos. Legebat quoque opera Graeca, imprimis "Iliadem" Homeri poetae. Erat sicut Horatii pater vir antiquis moribus praedicans parsimoniam moderationemque. Numquam Horatius se liberabit praeceptis horum virorum. Numquam se abdicabit amore vitae rusticae. Nam postea libenter in parvo praedio montium Sabinorum a Maecenate dono dato fruetur otio amicitiaeque aequalium.

Barbara Maier



Facete lepideque dictum

Canes exculti

Duo canum possessores conveniunt. Tum alter: "Canis meus iam acta diurna legere potest!" Tum alter: "Id re et veritate iam dudum scio, nam canis meus id mihi nuper rettulit!"

Sunt pueri pueri...

Puer: "Matercula, estne mihi licitum paululum legere in libello usque ad momentum temporis, ubi somno opprimor?"
Mater: "Id tibi haud gravate permitto, sed non minutam diutius!"

Valde dolendum est

Alter: "En, reddo tibi nunc tandem decem marcas Germanicas quas mihi mutuo dedisti abhinc quinque annos!"
Alter: "Gratias tibi ago maximas, sed id interea iam dudum oblitus eram!"
Alter: "Quare id non antehac mihi dicere potuisti?"

Iurisdictio

Iudex: "Tute ergo coinquilino (Untermieter) violoncellum furatus es? Scisne omnino violoncello canere?"
Reus: "Egomet non, sed ille etiam nequaquam!"



AMICUS

De monstris maritimis nomine Sirenum

Persaepe fit, ut undae marium tempestatibus ad scopulos iactentur et sonitum haud ingratum reddant. Persaepe vero naves scopulis nimis appropinquantes misere pereunt. Origo Sirenum fortasse a signis notisque naturae ducenda est. Fabulae de monstris ex avibus feminisque mixtis ab Orientalibus ad Graecos pervenerunt.

Homerus poeta nobis narrat de hoc genere monstrorum: Sirenes, puellae formosae, homines navigantes cantu suavissimo deleniunt et perdunt. Habitant quadam in insula, sedent in prato florido homines exspectantes. In prato earum est ingens acervus corporum putrefactorum. Circe vates Ulixem ádmonet, ut insulam Sirenum praeternaviget auribus sociorum cera illitis. "Sin autem", Circe inquit, "vocem Sirenum audire velis, ut socii te ad mali basim ligent! Sin autem iubeas socios malo te solvere, ut ei te vinculis pluribus firmioribusque ligent!" Ulixes consilium Circis sequitur, navis eius ad pratum floridum non appellitur. Ulixes sanus salvusque insulam periculosam praeterit.

De locis, quae Sirenes colunt, variae sententiae dantur. Maxime autem opinio haec tenetur Sirenes domicilia habere in Italia inferiore prope Scyllam. Non semper Sirenes aves feminaeque creduntur, sed pisces aut semipisces. Creduntur quoque peritae tempestatibus mutandae.

Permuli poetae Sirenum mentionem faciunt sicut Horatius: "Sirenum voces et Circae pocula nosti" (Ep. I, 2, 34), aut Propertius, qui dicit haec de Ulixis erroribus:

"nigrantisque domos animarum intrasse silentum
Sirenum surdo remige adisse lacus" (III, 12, 34).

Nonnulli homines docti Sirenum illecebras ad vitam humanam transférunt. Sirenes demonstrant opiniones falsas, quibus homines pereunt, vel voluptates cupiditatesque, quibus homines facile superantur. Apud Seneca legimus hoc:

"Hae voces non aliter fugiendae sunt, quam illae, quas Ulixes nisi alligatus praetervehi noluit. Idem possunt: abducunt a patria, a parentibus, ab amicis, a virtutibus et in turpem vitam miseros turpius illudunt. Quanto satius est rectum sequi limitem et eo se perducere, ut ea demum sint tibi iucunda, quae honesta?" (Ep. 123).

De numero Sirenum opiniones inter se differunt. Homerus duas nominat, postea plerumque tres commemorantur. Philosophi allegorias proponentes Platonis exemplo octo Sirenes nominant.

Non semper Sirenes noxiae ducuntur. Illustrant quoque vim amoris, linguae cantusque et pulchritudinem. Nonne mulieres aulicae, quae cum Caterina filia Laurentii Magnifici erant, Sirenes vocabantur?"

Barbara Maier

Aenigma

In forum Romanum quinque agricolae ex regionibus circum Romam sitis conveniunt.

Quae sunt praenomina nominaque eorum gentilia, quibus municipiis eveniunt quidque in foro venalis offerunt?

Praeceptum solvendi aenigmatis:

Cari legentes,

Ad aenigma solvendum modo indigetis instrumenti scribendi mentisque acris. Conferte vos primo ad studium indiciorum notarum. Secundo transferte omnes informationes cohaerentes in tabulam delineatam: Sic solutionem rectam gradatim adipiscemini. Ubi certum de vera relatione habetis, ibi ponite signum positivum (+); ubi relatio certe falsa, ibi signum negativum (-).

Sic novae conclusiones ex tabula intellegi possunt. Initium non facile videtur: exitus autem aenigmatis a studiosis severe atque consequenter cogitantibus reperiri potest.

Nolite coniectare aut experiri! Nolite desperare!

Per aspera ad astra!

INDICIA

1. Lucius fruges agrorum quaestui habet, Rufus autem fructibus animalium vescitur.
2. Petronius, cui praenomen non est Antonius, vineam conserit.
3. Cuculus agricola Neapoli habitat; fundus Camilli situs non est Ostiae.
4. Antonius vitam suam Ostiae agit; frumentum autem non colitur in agro Falerno.
5. Lata in regione Campaniae boves pascuntur prope Capuam; Gaio non est nomen gentile Camillus, frumentumque non colit.
6. Gnaeus Fabius neque suum domicilium Tusculi habet neque boves pascit.

	Fabius	Rufus	Cuculus	Petronius	Camillus	Ostia	Tusculum	Capua	Falerii	Neapolis	Boves	Poma	Oves	Vinum	Frumentum
Gaius															
Quintus															
Gnaeus															
Antonius															
Lucius															
Boves															
Poma															
Oves															
Vinum															
Frumentum															
Ostia															
Tusculum															
Capua															
Falerii															
Neapolis															

(Solutiones in proximo RUMORE VARIO reperietis)

Hoc aenigma composuit Marcus Reber, Saloduro

PRÆNOMEN	NOMEN GENTILE	SEDES	RES VENALIA
Gaius			
Quintus			
Gnaeus			
Antonius			
Lucius			


SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium: secundum praemium: tertium praemium:
 Claudia Uffer P. Maximilian Sauge Caroline Giancola
 St. Gallerstr. 90 Couvent d. Cordeliers Niederbürerstr. 12
 9202 Gossau 1700 Fribourg 2 9220 Bischofszell

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia, quae sunt liber (primum praemium), libellus (secundum et tertium praemium), eis mox mittentur.

Rumoris Varii domus editoria



.. quadrati magici, quod vobis in fasciculo 9+10/88 RVMORIS VARIII proposuimus, hic demonstrantur:

¹ M	² A	³ D	⁴ E	⁵ S
² A	R	E	N	A
³ D	E	L	U	M
⁴ E	N	U	B	O
⁵ S	A	M	O	S



PRAECLARAE MULIERES ITALICAE

Carola Fracci



Carola Fracci, Mediolani anno 1936^o nata, maxima ballatrix Italica viva est, una e summis saltatricibus classicis cunctorum temporum nationumque. Iam vicesimum tertium annum agens ballatrix primaria in Mediolanensi theatro 'Scala' vocato, quod templum est saltationis in Italia, mirum in modum facta est. Tenuissima, romantica, dulcissima, incredibili ingenio elegantiaque praedita, arte penitus didicit motus gestusque pleniore efficiens dum Londinii, Lutetiae, Novi Eboraci commoratur. Postquam ludos saltatorios diligentissime

aderat, primas partes egit in fabula saltica, quae "Nympha" appellatur.

Mobilis facilisque summa agilitate ballat, vultum et corpus ad omnes sensus componit mirabiliter, levissima sine pondere in scaena plerumque videtur, volat ut papiliuncula super flores, solum radit, mulcet, haud premit, summis digitis insistit, suspenso gradu fere gravitatis et ponderis oblita exsultat, circumscilit, usque ad extremam scaenam volitat, modo in digitos erigitur modo iunco mollior flectitur, manu pedem tangit aut in crure stat et aliud maxime divaricat diducitque: consaltator eam alte tollit iubetque inter brachia sua labi, eam multimodis versat et corporis statum mutat in infinitam velocissimamque habituum seriem. Denuo Carola sola in scaena quasi iactetur vento fluitat, non iam mulier sed tenuissimi folii instar. Carola plurimas choreas praesertim classicas agere quam lepidissime potest, inter quas saltationes quibus "Nucifrangibulum", "Cycnorum lacus", Gisella", "Coppelia" nomina sunt; sed summa libertate simplicitateque fabulas recentiores quoque agit. Consaltatores habuit habetque summos aetatis nostrae ballatores, inter quos Russicos Nureiev et Vassiliev et Italicos Amodio et Bortoluzzi, qui optima paria saltantium cum illa fuerunt.

Carola Fracci est prima inter permultas saltatrices Italicas magnae virtutis, ut Lilianam Cosi, Elisabetha Terabust Lucianamque Savignano; illa fulget in omnibus theatris internationalibus, excelsa fidelissima Terpsichores discipula.

Florindo Di Monaco

Facete lepideque dictum

Somnus morti non modo simillimus, sed etiam proximus esse videtur

Coniuges - iam seniores, sed animo semper virides, imprimis autem itineribus autoraeda sua maxime luxuriosa faciendis maxime studentes eisque gaudentes - una cum aduluscentulo sibi ignoto, qui eos precatus esset, ut se aliquantum spatium viae in autoraeda veherent, in autoraeda strata auto-

cinetica (1) proficiscuntur. Coniunx autoraedam dirigens vehiculum continuo accelerat (2); iam tachometrum (3) velocitatem CC chiliometrorum pro hora indicat. Pavor adulescentulum tantam velocitatem perfectionis moleste ferentem capit. Tum uxor pavorem conviatoris iuvenilis animadversa se ad eum vertit et "Nihil timeas", inquit, "marito enim haec strata autocinetica iamdudum notissima; numquam cursum autoraedae ab ea dirigeret, etiamsi dormiret, nos securos conduceret." His verbis dictis se ad maritum vertit quaerens: "Nonne res ita se habet, Eduarde mi? - Eduarde! - Eeduaarde!!"

1 strata autocinetica	f.	Autobahn/autoroute/highway
2 accelerare	1	beschleunigen/accelerer/to accelerate
3 tachometrum	n.	Geschwindigkeitsmesser/tachometre/speed indicator

Udalricus Aeschlimann



Psittacus ingenio promptus

Emptor quidam in taberna zoologica ante caveam psittacorum quaerit e psittaco: "Iamne potes loqui, psittace?" Tum psittacus: "Nimirum scilicet id iam dudum possum, sed quod ad temetipsum attinet, iamne potes volare, homulle?"

Psittaci solum bini venales sunt

Emptor: "Quare non unum singulum psittacum separatim emere possum?" Tum venditor: "Id omnino fieri non potest, nam alter solum loquitur Latine et alter est interpret eius!"

Flores in cubiculo dormitorio habere insalubre videtur

Bonnae in urbe Reipublicae Germaniae Foederatae vir quidam saluator in cubiculum officii intrare in mente habet, sed cubiculum introire cunctatur. Iam ter fores cubiculi pulsavit, sed nemo ei ianuam aperuit atque invitavit, ut intro

veniat. Tandem salutator vehementer - licet quot difficultates obstent - intrat, monstrat digito ad fenestellam et: "valde insalubre et alienum est!" ter vociferatur. Tum officialis obstupefactus perturbatusque: "Quidnam", inquit, "tuo arbitrio insalubre aut alienum esse putas?" Tum salutator vehementer: "Flores in cubiculo dormitorio habere!"



AMICUS


DE PERSPICILLIS

De bulbis nimis longis et brachiis brevioribus

Sunt nonnulli, quibus vitii oculorum congenitalis causa perspicillum (1) ab infante vel pueritia ferendum est. Ut aliqua exempla dem:

Astigmatismus (2) curvatura (3) anomala corneae (4) lentisve cristallinae (5) effectus perspicillis cylindricis politis plerumque compensari potest. Ac myopia (6) et hypermetropia (7) perspicillis idoneis corriguntur; nimia refractione lucis (8) aut bulbi oculares (9) longiores efficiunt, ut radii luminis ante retinam (10) colligantur. Itaque myopes lentibus opticis (11) concavis utuntur, quae radios ante oculum paulum distraherent. Hypermetropes autem lentes convexas adhibere debent propter refractionem lucis minorem vel brevitatem bulborum; sine perspicillo corrigente punctum focale (12) oculorum eorum post retinam esset, ut in picturis (de libello AKADis exemptis) videtis:

bulbus longior



decursus radiorum (13)
in oculo myopico

bulbus brevior



decursus radiorum
in oculo hypermetropico

In his condicionibus scilicet homines etiam iuniores perspicillis uti necesse est. Plurimi autem inter adultos omnia remota vicinaque acute videre soliti sunt - usque ad aetatem quandam: tunc in legendo scripta minus clara videri mirantur. Initio amplificatione spatii inter oculos librumque acies oculorum simpliciter restituitur, quam ob rem lectionem in otio et pace continuamus. Ea ratione aliquamdiu pergere possumus - scilicet brachiis scripta tenentes magis magisque porrectis - quoad brachia nimis brevia fieri videntur. Hora igitur veritatis agnoscendae non longe abest: nullum est remedium istius presbyopiae (14) nisi perspicillum emendum. Oculus enim aetate ex anno quadragesimo progrediente facultatem accomodandi (15) amittit, quapropter refractione lucis ad visionem rei vicinae (16) non diutius sufficit. Ergo presbyopia, sicut hypermetropia, lentibus convexis corrigitur.

Quae cum ita sint, meminimus carorum amicorum propinquorumque iam seniorum. O sodales, qui perspicilla vestra tam saepe alieno loco ponatis! Innumerabiles sunt ii, qui habitationes suas propter perspicillum reperiendum pervagantur, inquiete murmurantes: "Eheu, ubine id deposui?" Perspicillum habere est id plerumque non secum ferre. Experta loquor.

Nihilominus gratiam debemus pro facultatione data acute videndi usque ad senectutem. Quam commodum! Cogitatione fingite tempora antiqua et in illis omnes homines male videntes, quibus talia remedia non erant! Scitisne, cari aequales temporis hodierni, ex quo saeculo perspicilla fieri possunt? Studio noviora noscendi aliquos libros consultabam. De iis rebus alio tempore vobis pauca referam. Termini ophthalmologici secundum "Lexicon Ophthalmologicum", domus editoria S. Karger, Basilia/Novum Eboracum (New York):

1 perspicillum	Brille
2 astigmatismus	"Brennpunktlosigkeit" infolge Hornhautverkrümmung
3 curvatura	Krümmung, Wölbung
4 cornea	Hornhaut
5 lens cristallina*	Linse des Auges (frz. cristallin)
6 myopia	Kurzsichtigkeit

7	hypermetropia	Weitsichtigkeit
8	refractio lucis	Lichtbrechung
9	bulbus ocularis	Augapfel
10	retina	Netzhaut
11	lens optica	optische Linse (frz. lentille)
12	punctum focale	Brennpunkt
13	decursus radiorum	Strahlengang
14	presbyopia	altersbedingte Weitsichtigkeit
15	accomodare	anpassen, sehscharf einstellen
16	visio rei vicinae	Nahesehen

*ratio scribendi antiquior: lens crystallina

Ursula Schwenk



**AMICUS, SODALI SCOLLEGII REDACTORUM RVMORIS VARIII,
SEPTUAGINTA ANNOS NATUS**

Udalricus noster Aeschmlimannus ("Thymallander"), praefator maximus RUMORIS VARIII (qui dicitur), modo quodam iocoso non dumtaxat telephonice, sed etiam per litteras mihi proposuit tandemque suasit, ut nunc quidem - extra ordinem adhuc usitatum - egometipse - eheu memet miserrimum! - conscribam componamque aestimationem quandam meimetipsius occasione diei mei natalis interea iam 70¹ data et oblata. Rem autem eam - hercle sane quidem! - non parvam, sed revera maximam esse constat, nam id, quod reapse nemo ignorat, deforme est de se ipsum (gloriose) praedicare. Nihilominus tandem Udalrico cupiente nostro adsensus sum atque his quidem verbis modicis caute consulteque de me ipsum - meimetipsius ut ita dicam interpretem relatoremque! - haud dissimulanter praedicare conor. En accipite, ita igitur fiat!

Vitae summa brevis spem nos vetat incohare longam.
(P. Horatius Flaccus, Carminum libri I, 4, 15)

In lucem editus seu natus hoc lumen obscurum mundi huius adspexi die Solis IX^o mensis Iunii - die festo Ephraemi Syri - anno ab incarnatione Domini Salvatoris MCMXVIII^o Berolini in urbe patria ad Sprevam flivium, in regione Montis Crucis (ut dicitur Theodisce: Bezirk Kreuzberg) sub finem belli mundani seu pancosmii primi. Sancto autem baptisate die Solis XX^o mensis Octobris eodem anno feliciter peracto fidei evangelicae - Lutheranae addictus vitam secundum praecipia mandataque Christiana degere conatus sum.

Sex fere annos natus anno MCMXXIV^o scholam elementarem publicam in regione Treptoviensi (Theodisce: Bezirk Treptow) urbis patriae inii et per annos quattuor visitavi sub aegide magistri Alfredi Poeppeli (iam XCI annos nati adhuc viventis!). Ab anno MCMXXVIII^o usque ad annum MCMXXXVII^m scholam superiorem eiusdem regionis urbis patriae visitavi, ubi die Veneris V^o mensis Februarii anno MCMXXXVII^o temptamen superavi maturitatis (quod dicitur).

Studiis medicinae artis totum me dedidi ab anno MCMIXL^o usque ad annum MCMXLIV^m deinceps in universitatibus Halae ad Salam, Berolini in urbe, Regiomonte (Borussiae Orientalis), Berolini in urbe atque Hammoniae (Hammaburgiae), ubi examen superavi medicum die Iovis XVIII^o mensis Maii anno MCMXLIV^o.

Muneris militaris officium exsecutus sum ab anno MCMXXXVII^o usque ad annum MCMXLV^m, deinceps adscriptus regimento quinto equitum Stolpae Pomaraniae, regimento curruum loricatorum quinto Berolini in urbe, postea procedente bello toto mundano seu pancosmio secundo stipendia feci sanitatis ubique terrarum locorumque gentium.

Officio medico satisfeci aut functus sum medicinamque exercui per annos fere quadraginta, statim initio ab anno MCMXLIV^o sicut medicus medicinae generalis, postea autem ab anno MCML^o sicut medicus specialis orthopaediae medicinaeque exercitatrix peritus (Theodisce: Facharzt für Orthopädie und Sportmedizin).

Tandem rude donatus (ab) officio medico me abdicavi, (de) foro decessi, a negotiis publicis me removi, ab omni cura officii me abduxi retraxique atque ex eo tempore otio nunc perfruor cum dignitate. Vitam autem porro dego hominis docti seu litterati umbratici (litteratoris privati otiosi ut dicitur, Theodisce: Privatgelehrter), imprimis in linguis (et antiquis et novis totidem itidem), insuper in litteris, in rebus gestis quorumcumque vis gentium populorumque, in philosophia religioneque et quae sunt generis eiusdem et reliqua.

Sodalis sum Societatum Latinarum (Germanicae) Saravipontanae (Helveticaeque) Turicensis Latinitatique Vivae Provehendae Associationis (Germanicae) Verinensis (Verinae ad Lupiam = Werne an der Lippe).

Septuaginta autem anni secundum opinionem psalmistae psalmi XC¹ (secundum numerationem catholicam: IXC¹ - id est Mosi hominis Dei oratio - complectuntur quasi - ut ita dicam - tamquam totam iam vitam hominis in terris: Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, si autem multum octoginta anni et quod amplius est labor et dolor. (Ps. XC,10). Divinitati nimirum placere fortasse posset, addere seu adicere aetatis annis iterum nonnullos annos, sed id certum aut exploratum aut compertum habere, id accurate certoque scire nemini umquam, eheu, continget.

Quid autem nunc tandem tali septuagenario, veterano veteratorique aetate provento iam aliquantulum languido homines omnino porro optare possint? Fortasse id, quod Franciscus ille Petrarca Italus (die Lunae XX^o mensis Iulii anno MCCCIV^o natus diem extremum obiit die Martis XVIII^o mensis Iulii anno MCCCCLXXIV^o), qui diem suum natalem septuagesimum paulo (duobus diebus minus!) non adeptus est, tam excellenter verbis expressit his:

"Si quis toto die currens pervenit ad vesperam, **satis** est."

Ita igitur fiat, ut bene mihipte verruncet!

AMICUS



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIUS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIUS für mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIUS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

1/89

KALENDIS MARTIIS

MCMLXXXIX



RVMOR VARIVS



TOMVS 12

FASC. 75